

05
A
2412





Q. D. B. V.

EXERCITATIO THEOLOGICA
DE

PRÆDESTINATIONE
FILIORUM DEI

AD VITAM ÆTERNAM,

REFORMATIS ET PONTIFICIIS POTISSIMUM OPPOSITA.

Quam

DEO ANNUENTE,

SUB

Umbone atque Præsidio

VIRI

Maximè Reverendi, Magnifici, Amplissimi, Excellentissimiq;

DN. PHILIPPI LUDOVICI
HANNEKENII,

SS. Theol. D. atque Profess. Publ. Celeberrimi, Superin-
tendentis & Pastoris Gisseni Gravissimi,

Dn. Patroni, Præceptoris atque Hospitis ut exoptatissimi, ita

summo honoris & observantia cultu jugiter prosequendi,

Eruditorum Examine submittit

AUCTOR

M. DAVID FRIDERICUS GERDESSEN

Gryphisvaldensis Pomeranus,

D. Januar. MDC XCI.

In Auditorio Majori.

GISSÆ HASSORUM,

Typis MÜLLERIANIS, Anno 1691.



POTENTISSIMI ET INVICTISSIMI
SUECORUM REGIS,

PER

POMERANIAM,
ET DUCATUM
BREMENSEM, VERDENSEM,

PRO-PRINCIPI,

UT ET

REGIÆ UNIVERSITATIS,

QUÆ

GRYPHIS WALDIÆ

EST,

CANCELLARIO,
ILLUSTRISSIMO, CELSISSIMOQUE

COMITI AC HEROI

DOMINO

NICOLA O

WALDENBURG

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO,

NEC

NEC NON

ILLUSTRISSIMO

REGIO REGIMINI,

*PER-ILLUSTRI ET EMINENTIS-
SIMO*

CANCELLARIO,

CÆTERISQUE

VIRIS

*MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS,
EXCELLENTISSIMIS ET AM-
PLISSIMIS*

CONSILIARIIS:

PATRONIS OPTIMIS,

MAXIMIS.

A 2

FELI-

FELICES CONSILIORUM
SUCCESSUS,
SANITATEM ILLIBATAM
AC
PROSPERA OMNIA

Devotè apprecatus,

DISSERTATIONEM HANC

unaque

preces, studia, & officia

consecrat



05 A 2412

M.DAVID FRIDERICUS GERDESSEN.

ILLU-

ILLUSTRISSEME CELSISSEME^{q3}
COMES ac HEROS,
DOMINE

LONGE CLEMENTISSEME;
CÆTERIQUE VIRI

PER-ILLUSTRIS

CANCELLARIE,

Magnifici, Generosissimi, Præ-Nobilissimi

CONSILIARII,

DOMINI LONGE GRATIOSI.



Effert sese oculis Vestris, COMES ILLUSTRISSEME, Vosque Regiminis Regii, Magnifice DOMINE CANCELLARIE, & CONSILIARII Amplissimi, præsens de Prædestinatione Dissertatio Theologica, sub Vestro splendore & radianti Nominis gloriâ favorem sibi, præsidiumque exposcens. Non enim fas erat, ea aliunde mutuari, quam ab His, quorum curæ pervigili, Prudentique Vigilantiæ REX ipse INVICTISSEME suam Pomeraniã, quæ multis mihi nominibus ex toto terrarum orbe est suavissima, quamque & Patriam & altricem expertus sum benignam, commisit. Quo etiam ma-

A 3

gis


gis in proclivi apud VOS mihi fore confido veniam, quod negotia Vestra Amplissima, & REGI, Reique publicæ unicè destinata & devota, vilibus hisce chartis sustineam interpellare, quippe totius Patriæ debitâ devotione eò inductus. Nec tamen partem posco de otio Vestro, quod & ipsum gravioribus jam curis distinctum est; sic enim importunè audax essem; sed ea propter tantum præsentem dissertationem VOBIS debui inscribere, ut esset, quo devotum VOBIS obstrictumque vinculis nunquam solvendis animum meum quadantenus contestarer. Levidense, scio, munus, nec dignum tantis Summorum Virorum Personis: ut tamen sol non tantum in alto posita montium cacumina suis illustrat radiis, sed in humiles etiam vallium recessus penetrat, eosque calore suo refovet, & refocillat; parili ratione VOS, VIRI ILLUSTRISIME & MAGNIFICI, hæc mea, utut à nullis eximiis commendanda notis, benignâ nihilominus mente suscipietis. Fontem potius, è quo promanavit rudis hæc humillimæ observantiæ & devotionis reftificatio, devinctissimum scilicet pectus meum spectabitis, quod hisce, ne patientiâ Vestrâ nimium abuti videatur, VOS VIRI ILLUSTRISIME & MAGNIFICI unâ cum FAMILIIS ILLUSTRISIMA & GENEROSSIMIS, DEI O. M. præsidio, se verò suaque studia Vestro Favori & Patrocinio commendat.

Illustr. Celsitud.

Magnif. Eminent.

Devotissimus

CIVIS & CLIENS,



IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI

Θεοῦ υἱοῦ πρῶτος!

PRÆFATIO.

DEr vetusta cōtroverſia eſt, & à longis abhinc tem-
poribus in hunc uſq; diem agitata, An de Præde-
ſtinationis doctrina in Eccleſia agere licitum ſit?
E Reformatis Beza & alii minus rectè negāt. Scri-
ptura enim Sacra hujus Articuli mentionem ſæ-
pius facit, & ſatis copioſè eundem tractat & explicat; quidni igitur
de hoc mysterio in Chriſtianorum Scholis diſſerendum eſſet? Ipſe
Apoſtolus magnus Doct̄or gentium hunc Articulum in numerum
graviſſimorum ponderoſiſſimorumq; fidei Articulorum, qui magni
æſtimantur tam ob maximam dignitatem, quam ob inde redundan-
tem utilitatem, refert. Quodcunq; ergo mysterium Spiritus S. in
Scriptura revelavit, & Chriſtus ipſe & Apoſtoli per conciones pu-
blicè docuerunt, illud non eſt referendum in claſſem immoderata-
rum ac rixoſarum quaſtionum. Quibus penſitatis Articulum Præ-
deſtinationis ſeu Electionis Filiorum Dei ad vitam æternam ſub
diſputationis incidem revoco, quantulumcunq; ingenii tenuitas ad-
mittit, ab adverſariorum eum ſtrophis & corruptelis vindicaturus.
De quâ cōtroverſia dicere inſtituens ſequentem mihi eligo conſcri-
bendi ordinem, ut evolutis terminis primo perlūſtrem cauſam ef-
ficiētem Prædeſtinationis, ſecundo objectum, tertio formam, &
quarto finem, cui deniq; affectiones addam. Quum autem abſq; di-
vino auxilio proſperis rerum ſucceſſibus non utar, devotis beni-
gniſſimum Numen invocō ſuſpiriis, ut gratiam ſuam in hac ardua
atque difficili materia largiſſimam cœlitus mihi concedere dignetur.

I. Defi.





§. I.

Definitum, quod primo respici solet, est Prædestinatio. Quæ vox juxta Latinos descendit à prædestinare : in Græco textu exprimitur per *προορίζειν* determinare, ad certum finem prædestinare, Eph. I. v. 5. prædestinavit nos ut adoptaret in Filios [gloriæ] per Jesum Christum in sese juxta beneplacitum voluntatis suæ. Unde *προορισμός* prædestinatio ex *πρό*, præ *ορίζω*, quod finem sive terminum significat, & simul includit media, per quæ finis seu terminus iste obtineri potest. Malè igitur sentiunt Reformati, qui vocem prædestinationis in tam laxo sensu accipiunt, ut simul includant reprobationem. *Ursinus* in catecheseos explicat. *part. 2. p. 217.* Electionem & reprobationem pro partibus Prædestinationis propugnat ; ita quoque vocabulum prædestinationis usurpat *Wendelinus lib. 1. Christ. Theol. c. 3. p. 164.* *Jansenius Tom. 3. Augustini sui p. 368.* prædestinationem ad reprobationem refert. Quibus adjungi possunt. *Calvinus lib. 3. Instit. c. 21. Chamier. Tom 3. Panstrat. lib. 7. de Prædestinatione c. 4. § 5. p. 102. 103.* itemque *Heidelbergenses* distinguentes inter Electionem, quam vocant die Gnaden Wahl / & reprobationem quam Germanicè reddunt die Zorn Wahl. Verum opposita est hæc sententia Scripturæ Sacræ *Rom. VIII. v. 30.* quæ nunquam hoc vocabulum in malam, sed semper in bonam partem accepit. Inde *Formula Concordiæ, p. 618.* Prædestinatio seu æterna electio Dei tantum ad bonos & electos filios Dei pertinet : & hæc est causa ipsorum salutis. Quâ in re quoque ex Reformatis ipse *Keckermannus lib. 5. Theol. c. 1. p. 296.* consentit. Prædestinationis vox inquit, propriè sub se non continet reprobationem, sed electionem ad vitam æternam ex natura significat. Prædestinatio enim est ordinatio mediorum ad finem, reprobatio verò non est constitutio finis hominis, quia omnis finis est rei perfectio & sic optimum quid : Reprobatio vero est extremum malum *Augustinus lib. de prædest. c. 6.* ita distinguit: Prædestinationum aliæ sunt alligationis, aliæ conditionis, istæ sunt justitiæ, illæ potentiæ. Creavit Deus cælum & terram, solem & lunam, diem & noctem, prædestinavit insuper, ut cælum semper volveretur, terra immobilis circum-



circumvolventi cœlo loco centri haberetur, Sol & Luna diei noctique præessent, dies & nox certis temporibus vicissim succederent, hæc prædestinationes potentia sunt & alligationis. Creavit Deus hominem & prædestinavit, ut si obediens esset, ac à gustu vetiti pomi abstineret, in vita permaneret, sin autem inobediens esset, sententiam mortis subiret, hæc prædestinatio conditionis est & justitiæ. Sed ut diximus vocem prædestinationis nunquam pro reprobis, sed semper pro electis accipi, nisi ἀκούτως & abusive seu in sensu Ecclesiastico, non in Biblico. Deinde bene observandum, quod Patres vocem prædestinationis tribuunt incredulorum reprobationi, quoad voluntatem Dei consequentem. *Vid. Gerhard. Tom. 2. de prædest. §. D. Dn. Scherzernus p. 480.*

§. 2. Quod synonymiam concernit, intelliguntur Synonyma non logica sed grammatica, non Ecclesiastica, sed Biblica. Ita prædestinatio & Electio usurpantur ut Synonyma Rom. VIII. 34. Eph. I. 5. quanquam non realiter, interim tamen ratione ordinativâ & objectiva differant. Vide hac de re Petavium Tom. I. Dogmat. lib. IX. cap. I. §. X. seq. ubi ait poni nonnullum discrimen Prædestinationis & Electionis in eo, quod Prædestinatio habeat significationem absolutam, hoc est, nullam cum aliis, qui non prædestinantur, comparisonem in notione sua contineat; Electio vero sit quidem eadem illa destinatio, designatio vel propositum Dei, quatenus aliis, & quidem multis relictis, paucos quosdam segregat & adsciscit. Vocatur Electio gratiæ Rom. XI. v. 5. Electio ad vitam æternam Eph. I. v. 4. 5. ordinatio ad vitam æternam Act. XIII. v. 4. 8. Inscriptio in librum vitæ Apoc. III. v. 5. Ubi notatu digna occurrit vox libri, quæ (1) de Deo non propriè sed metaphoricè usurpatur conf. Es. XLIX. v. 16. Luc. X. 20. Ebr. XII. v. 23. Loquitur enim Scriptura sæpius secundum captum nostrum & humanæ cognitionis modum, unde Patres ista enunciari scribunt non θεολογικῶς sed δινορικῶς (2) dist. inter librum universalis providentiæ, & inter librum specialis gratiæ; prior non tantum omnes homines, sed quicquid in hoc mundo est, comprehendit, cujus libri mentio fit Psalm. CXXXIX. v. 16. de quâ hic non agitur. (3) aliud est, an liber hic sit Christi liber & aliud, an sit Christus ipse, ut nonnulli ex Adversariis volunt; Li-

B

ber

ber vitæ quidem rectè dicitur liber Agni Apóc. XIII. 8. Sed quod sit ipse Christus in casu recto, hoc negatur. (4) dist. inter librum vitæ naturalis temporariæ, & specialis seu æternæ, de priori non loquimur; nam ex illo libro potest quis deleri, sicut videtur dici Exod. XXXII. v. 32. Notandi hic veniunt Sociniani, & Arminiani asserentes inscriptionem nihil aliud notare, quam mutabilitatem electionis, ita ut nunc quidam inscribantur, nunc deleantur. Sed falso. Quemadmodum enim omnis salvabitur in libro vitæ scriptus Dan. XII. v. 1. ita impossibile est illum unquam deleri ex libro, qui antea erat inscriptus. Dices fortasse, dari duplicem inscriptionem, unam eorum qui *πρόσκαιροί*, ita dicti interdum vera membra Ecclesiæ sunt, & ad tempus in Christum credunt, sed postea ex fœdere excidunt, & damnantur: alteram eorum, qui perseveranter usque ad vitæ terminum in Christum credunt & salvantur. Verum distinguimus inter librum vitæ, & inter librum Dei: *πρόσκαιροί* quia non sunt finaliter credituri, ita quoque non sunt electi & per consequens nec in libro vitæ scripti, quanquam sint scripti in libro Dei. Quicumque autem sunt scripti in libro vitæ, ii quoque sunt scripti in libro Dei, sed non contra. Hinc facile judicari potest, neminem unquam ex libro vitæ deleri posse, nec inscriptionem hanc quandam mutabilitatem electionis denotare. Vide de hac materia *Theologos Wittebergenses in explicat. brevi contra Huberum, D. D. Chemnitium in Enchiridio p. 266. Dn. D. Hutterm in Form. concord. p. 1121. & 1163. Hunnium de prædestinatione, B. Dn. D. Menzerum Tom. 1. Disp. Giess. disp. XXV. thes. 10. & seq. de vera sententia dictorum biblicorum Exod. XXXII. v. 32. Psalm. LXIX. v. 29. Apocal. III. vers. 5. cap. XXII. v. 19. consulantur D. Meisnerus in Anthropol. Dec. II. q. VI. p. 213. Gerhardus Tom. 2. de Elect. & Reprob. p. 193. 194. &c. ut & D. Dn. D. Scherzerus. in Colleg. Anti Socin. pag. mihi 161.*

§. 3. Sequitur genus Prædestinationis sive electionis, quod non est nudum decretum, factum quidem ab æterno, cujus tamen executio in tempore demum fiat, sed est actio voluntatis divinæ, qua finaliter credentes à cœtu non salvandorum separantur, antequam existunt in rerum natura. Quos Deus præscivit, eos prædestinavit Rom. IX. 29. 30. *Atque certos homines prævidit. Ergo Ele-*
git

git nos ante jacta fundamenta mundi Eph. i. v. 4. Recte igitur Electio definitur per actionem cum mentis tum voluntatis divinæ juxta *Konigium in Theol. post. Acroamat. p. 117. §. 35. B. D. Gerhardum Tom. 2. de Elect. c. 3. §. 49. Feuerbornium in Syntagm. II. disput. 21. §. 33. & alios.*

§. 4. Is qui elegit est Deus Triunus vel Triunius Dei voluntas liberrime decernens, est enim opus ad extra, quod totius est Trinitatis. Non igitur per intellectum magis, ut *Bellarminus* contendit, sed per benevolam Dei voluntatem electi sumus. Vocavit nos vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum *ιδίαν πρὸ θεοῦ καὶ χάριν*, quæ data est nobis per Christum ante tempora æterna 2. Tim. i. v. 9. Dicitur alia voluntas Dei antecedens, alia verò consequens, quæ distinctio quamquam *Henrico Altin- gio problem. Theol. p. 1. Maccovio disp. 4. & Marc. Friderico Wendelino lib. 1. Christ. Theol. c. 1. thes. 18.* falsa imo absurda & contradictoria visa fuerit, tamen verissima recteque in Scripturis fundata est. Primo autem hac distinctione usus est *Damasceus lib. 2. de orthodoxâ fide c. 29.* Monachus Græcus, qui Seculo VIII. claruit circa A. C. 730. quam tamen quoad rem jam suo tempore inculcaverat *Johannes Chrysostronus* Ecclesiæ Antiochenæ primum tum Lector, tum Diaconus ac Presbyter, postea Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus, qui Sec. IV. claruit circa A. C. 382. *Homil. 1. in cap. 1. Epist. ad Ephes.* primam secundamque voluntatem Dei appellans. Est autem antecedens voluntas Dei, qua Deus ab æterno ex immensa misericordia, offerentem se se in consilio S. S. Trinitatis ad reparationem generis humani Filium mittere voluit, ut pro peccatis totius mundi satisfaceret, & ad Regnum Filii per Evangelium omnes vocare homines, ut in Filium crederent, atque credentes in ipso salutem & vitam æternam haberent. Consequens est, quâ Deus Pater ab æterno ex mera gratia homines in Filium usque ad vitæ terminum credituros elegit, quibus in tempore restitutis in gratiam aliquando daret vitam salutemque æternam; incredulos autem & contumaces pro sua justitia vindicativa reproba- ret, donec in tempore meritas pœnas luerent, & ad æternos cruci- atus condemnarentur. Vult igitur Deus quoad voluntatem an- tecedentem omnes homines salvare, nempe per fidem in Christum,

& secundum voluntatem consequentem Deus vult quosdam homines non salvare, sed damnare, puta incredulos. Ratio est, quia hæc propositiones non sunt circa idem, sed prior circa hominem cum ordine divinitus instituto, videlicet salvandum per fidem in Christum, posterior verò propositio est circa hominem incredulum, divini ordinis contemptorem, qui voluntatis Dei antecedentis consilium, de salvandis omnibus hominibus per fidem in Christum, sua incredulitate contemnunt, illi per decretum voluntatis consequentis æternæ damnationi adjudicantur absque omni pugna cum voluntate antecedente. *Ludovicus Crocius, Moses Amyraldus & alii* illudentes Deo & hominibus, fatente *Spanhemio Exerc. XXV.* de gratia universali hanc sententiam admittere videri volunt, sed falso. Fingunt enim, Deum velle quidem omnium hominum salutem, sed sub conditione impossibili & nunquam futura, si suis viribus possint converti, quod ne fiat, neve universalis omnium hominum vocatio effectum salutarem consequatur, absoluto Dei decreto cautum esse dicunt, unde voluntas Dei antecedens ipsis est hypothetica promissio salutis sub conditione impossibili; si nempe homo ex viribus naturalibus credere & diligere possit; consequens autem est decretum Dei absolutum, non dandi iis, quibus hanc promissionem hypotheticam fecit, efficacem gratiam, per quam possint eam acceptare. Rectius autem se habet mens *Damasceni* de hac distinctione, quæ fundata est in Sacris literis. Nam sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam Joh. III. v. 6. per ipsum habemus redemptionem per sanguinem ipsius in remissionem peccatorum, juxta divitias gratiæ. De qua ubertim nobis impertivit in omni sapientia & prudentia. Patefacto nobis arcano voluntatis suæ, juxta beneplacitum suum, quod proposuerat in seipso *Eph. I. v. 7. 8. 9.* His accedit illud *Rom. XI. v. 5.* reliquæ secundum electionem gratiæ fuerunt.

§ 5. Alia voluntas Dei est approbativa, alia effectiva. Fundamentum hujus distinctionis hoc est, quod prima ab altera in eo differat, quia illa respicit bonum seu objectum prosecutionis, hæc utrumque bonum & malum, seu objectum prosecutionis simul ac perfectionis voluntatis. Opponitur hæc distinctio Reformatis
 censenti-

consentibus (1) omnem voluntatem Dei circa bonum esse effectivam, (2) voluntatem permittentem peccatum, non permissionem tantum, sed ipsam voluntatem Dei referri ad peccatum, idque decrevisse & voluisse Deum. Sed summa blasphemia in Deum est, hoc asserere. Supponimus, Deum quædam neque velle aut approbare, neque efficere, sed tamen velle non impedire ac permittere, ut peccata, quæ non modo non vult ex *Psalms. V. v. 5.* sed etiam odit omnes, qui operantur iniquitatem eod. *Psalms. V. v. 7.* nedum efficit *Jacob. 2. 13.* vult tamen non impedire, sed permittit, cum impedire posset *Psalms. LXXXI. 13. Act. XIV. 16.* Interim tamen Deus nunquam decrevit aut voluit peccata. Quicumque enim est veracissimus & sincerissimus immutabiliter, illenec vult nec velle potest peccata hominum. Atqui Deus &c. Ergo. Nec prius procedit, Quod scilicet voluntas Dei circa bonum semper sit effectiva. Est quidem voluntas Dei effectiva in operibus creationis, quæ cum nondum essent, Deus ut absolutè volens, ut essent, effecit *Psalms. XXXIII. v. 6.* Sed hic Deus bonum aliquod plenâ voluntate vult & amat, quod tamen non efficit e. g. Deus sub certa conditione vult omnes salvos fieri, quoniam autem præcicit, multos esse contempturos sua media, ejus voluntas non est effectiva, quia non omnes apprehendent certa media. Objicit huic nostræ sententiæ *Maccovius colleg. Theol. 1. disp. 3. & Disp. 8. Quis potest voluntati ejus resistere Rom. IX. v. 19. Ergo omnis voluntas Dei est irresistibilis. Quæcumque voluntas est irresistibilis, illa quoque est efficax. Atque voluntas Dei est irresistibilis. Ergo.* Resp. limitando, quæcumque voluntas absolutè est irresistibilis, illa est efficax, sic negamus minorem. Volunt quidem Adversarii voluntatem Dei esse absolutam, sed sine fundamento. Nos affirmativam defendimus & probamus Voluntatem Dei conditionatam, quâ Deus aliquid in rebus creatis fieri vult sub certa conditione, & ordine certo, à creaturis servando, ejus modi tamen; quem illæ possint non servare, sicut e. g. Deus liberis vult concedere vitam longævam & prosperam, si honoraverint Parentes *Exod. XX. v. 12.* omnibus hominibus dare panem quotidianum, si diligenter laborent. *Gen. III. 19.* & voluit aliquando Israelitas in deserto sanare, si aspicerent serpentem *Num. XX. v. 9.* Hinc, quando *Augustinus in Enchiridio*

cap. 12. & seq. Voluntatem non esse ita efficacem scribit, ut quod fieri Deus vult, nempe salvari omnes homines, fiat atque eveniat, quia omnes minimè salvantur, tum non ita hanc voluntatem de nominat à defectu qualitatis intrinsecæ aut seriæ intentionis Dei, Sed non voluntariam in dispositione subjecti. Voluntas hæc conditionata est quidem efficax ratione intentionis Dei serio volentis & sufficientia media ordinantis, sed inefficax ratione eventus, quia absentia conditionis & contemptus ordinis divini malitiosus impedit, quo minus omnes salventur. Præterea allatum dictum ad *Rom. IX. v. 9.* pertinet ad objectionem Judæorum male assumendum dicta ab Apostolo, quasi doceret, Deum indurare homines immittendo duritiem cordis, quam refellit Apostolus inter alia hoc quoque usus responso, quod Deus vasa iræ peccaminosa, & propria culpa sua ad interitum apparatus tantum toleret & quidem multa longanimitate *v. 22.* expectans eorum conversionem *cap. II. v. 4,* quamvis contumaciter inobedientes Deus justo iudicio per subtractionem gratiæ deserat & indurandos tradat in potestatem Satanæ *c. 1. vers. 2.*

§. 6. Frustra distinguunt ex Reformatis Chamier *Panstrat. lib. VIII. p. 105.* Zanchius in *miscell. confess. de predest. cap. 1. thes. 6. & de natura Dei lib. 5. c. 2.* Daneus *Isagog. p. 4. l. 3. c. 17. p. 149.* ut & alii, inter voluntatem signi & beneplaciti, seu quod idem est decreti & præcepti. Censent enim Deum voluntate beneplaciti velle, ut reprobis peccent & condemnentur, etiamsi voluntate signi in verbo patefacta testetur, non se peccata & damnationem, d. fidem & salutem omnium hominum velle. Nos contra falsum esse dicimus, Deum aliud voluntate abscondita & arcana velle, aliud circa eandem rem voluntate revelatâ testari. Quicumque enim non mentitur ac ne quidem mentiri potest, sed veracissimus & ipsa veritas est, illum aliud voluntate beneplaciti, abscondita & arcana velle, aliud circa rem eandem voluntate signi & revelata testari falsum est, Atque Deus non mentitur &c. Ergo Hanc clarissimam veritatis lucem exemplo Pharaonis *Exod. VI. &c. VII. 3.* obfuscare illi nituntur. Dicunt Deum voluntate signi voluisse, ut dimitteret populum Israeliticum, voluntate autem beneplaciti voluisse, ut minimè dimitteret, eamque in rem ipsum indu-

rasse

rasse. Sed responsio est facilis. Negamus, noluisse Deum, ut Pharaon populum dimitteret, quippe Moses & Aaron jussu Dei dicebant ad eum: sic dixit Jehovah: *Dimitte populum meum Exod. V. 1.* postquam vero Pharaon per spontaneam malitiam, extremamque impietatem & Epicureum Dei contemptum mandato divino morem gerere nolebat, dum respondet v. 2. *Quis est Jehovah ut paream voci ejus dimittendo Israel? neque novi Jehovah, Sed nec dimittam Israel:* Ergo Deus justo judicio Pharaonem tradebat Sata-næ excœcandum & indurandum, ut exemplum sisteret toti orbi. Proinde hæc induratio pertinebit ad voluntatem Dei consequentem, seu Justum ejus Judicium, quo antegressa peccata punit. U-sus quidem est hac distinctione *D. Lutherus comment. in Gen. VI.* Ubi voluntatem beneplaciti vocat substantialem voluntatem Dei, voluntatem autem signi effectum Dei nobiscum agentis per exter-nas res quas apprehendere possumus. Lutherum alii ex Nostrati-bus imitati sunt, dicentes voluntatem signi esse legalem, volunta-tem autem beneplaciti Evangelicam, quæ distinctio quidem in sen-su orthodoxo Nostratium Theologorum admitti potest, non autem in sensu Heterodoxo Reformatorum, quoniam ii utramque volun-tatem Dei ponunt circa unum idemque objectum, contrariamque ita fingunt, præsertim in negotio conversionis & salutis hominum, quasi Deus voluntate arcana, interiori, abscondita, horrenda, at-que terribili ab æterno voluerit, absolutoque odio decreverit, qui-busdam hominibus & media conversionis salutisque æternæ, & conversionem salutemque ipsam denegare, etiamsi voluntate re-velata exteriorique & suavi velle sese declaret ac testetur conversio-nem & salutem omnium hominum: item quod voluntate abscondi-ta minimè imo contrarium procurare velit, quam voluntate reve-lata præcepit, ideoque quod voluntate arcana velit peccata, etiamsi voluntate revelata ea fieri non velit ac facere vetet. Consultius au-tem esset, planè abstinere ab hac distinctione, quia Adversarii eâ ab-utuntur ad stabiliendum suum decretum absolutum.

§. 7. Causa movens vel impulsiva interna est mera gratia & misericordia Dei excludens omne operum hominum me-ritum. Bene hic (1) discernenda est prædestinatio ab executione & declaratione prædestinationis. Ipsa prædestinatio nulla in se
con-

continet opera, verum prædestinationis declaratio fit per opera, nam B. O. declarant à posteriori, nos esse in gratia divina, de quâ agitur 2. Pet. I. 10. (2) Dist. contra Pontificios statum controversiæ malè formantes interpretædestinationem ad gratiam & gloriam; Pontificii male prædestinationem, de quâ nobis sermo est, non tam ad gratiam, quam ad gloriam referunt (3) dist. interpretædestinationem parvulorum ante usum rationis credentium, & aulorum, de priori se non disquirere ajunt *Tannerus de prædest. disp. 3. quest. 4. dub. 3.* & *Bellarminus lib. 2. de gratia & libero Arbitrio cap. 10.* Sed de posteriori. Verum nullis hominum meritis, nulla humani generis dignitate facta est prædestinatio, sed solo proposito eligentis omnia opera excludente: nam vocavit nos vocatione sancta non secundum opera nostra, sed secundum *ἰδίαν πρόθεσιν καὶ χάριν*, quæ data est nobis per Christum ante tempora æterna 2. *Tim. I. 9.* Et quomodo quæso ullo modo approbari potest, electionem factam esse ob prævisa merita, cum effectus ante suam causam non possit esse. Bona opera sunt effectus prædestinationis. Ergo non ante suam causam esse possunt. (2) opera sunt imperfectè bona, jam autem prædestinatio respectum involvit ad summum bonum, igitur summa causa non possunt vocari nostra opera, & (3) ipsi Pontificii in concilio Tridentino *sess. 6. c. 3. 6. 8.* nobis consentiunt. quare electio non fit ex debito, nec propter bona opera, sed ex gratia, si autem ex gratia est electio, jam non est ex operibus *Rom. XI.* & per consequens non datur extra Deum illa causa impulsiva Electionis, ut concludit B. Dn. D. *Museus* in peculiari dissertatione de æterno electionis decreto Anno 1668. habita. Frustra excipit Becanus, B. O. quidem esse excludenda à vocatione, non vero ab Electione s. prædestinatione. Sed falsò. Bona opera pertinent ad legem, lex autem non data est, quæ posset justificare *Gal. III. v. 21.* Ergo ex lege & per consequens operibus nemo justificatur *Philipp. III. v. 9.* sed sine operibus *Rom. IV. v. 6.* Firmiter jam concludimus cum B. D. *Scherzero* in *System. Loc. X. VIII. de prædestinatione & oppos. Reprob. p. 487. §. VI. (e)* Quod non est causa salutis & Justificationis, illud etiam non potest esse causa Electionis. At bona Opera non sunt causa salutis & justificationis. Ergo.

§. 3. Fun-

§. 8. Fundamentum electionis ad vitam æternam est Christus fide apprehensus. Appellatur alias causa meritoria electionis nostræ. Causa impulsiva externa, dupliciter considerari potest. Vel (1) respectu Dei, vel (2) respectu nostri. Causa impulsiva externa respectu nostri est miseria, quamvis enim Deus in electione nostra non respiciat meritum, adspicit tamen nostram miseriam, quâ viscera ejus filii intercessione interveniente, commoventur. Respectu Dei est meritum Christi ratione prævisæ applicationis. Potest autem hoc meritum spectari vel ratione existentia, vel ratione prævisionis divinæ; priori modo hic non spectatur: quippe Christus meruit pro nobis in tempore, electi autem sumus ab æterno, adeoque, ratione prævisionis spectari debet prædestinatio. Intelligimus autem per meritum Christi, aliquod universale meritum, non tantum ad electos restrictum, tale enim Reformati admittunt, sed quo omnes in universum homines, tam reprobi, quam electi per Christum redempti sunt, non tantum sufficienter, sed & efficienter (in quantum sensum orthodoxum admittit ista distinctio] non tantum sub hypothese, si credant: Sed citra intuitum fidei, respectu habita ad communem, in qua hærebant ad unum omnes miseriam. Producimus luculenta testimonia, quæ meritum Christi universale indicant. Probatur (1) hæc universalitas 2. Cor. IV. v. 14, 15. Pro omnibus mortuus est Christus. Coloss V. v. 10. complacitum est Patri per Christum omnia reconciliare &c. II. Urgemus dictum Job. III. v. 16. Quoscunque Deus sic dilexit, ut Filium suum ipsis redemptorem miserit, pro iis omnibus Christus meruit. At omnes in universum homines tam electos quam reprobos sic dilexit DEUS, ut Filium suum ipsis redemptorem miserit E. minor probatur, quia dicitur dilexisse mundum, per quem nihil aliud, quam universus hominum cœtus intelligitur, uti docuit D. Jacob Andrea in Colloq. Mompelg. p. 542. edit. Tubing. p. 441. edit. Vitteb. Excipiunt tamen Adversarii. Pro finali impœnitentiâ non esse satisfactum. Igitur pro finaliter impœnitentibus, adeoque non pro omnibus; sed negamus connexionem majoris, Christus mortuus est pro omnibus hominibus, uti considerantur in statu viatorum, & ita pro omnium viatorum

C

torum

torum peccatis ; Impœnitentia finalis autem non est peccatum
nudi viatoris, sed constituti jam in aditu inferni, pro qualibus
peccatis, uti etiam est peccatum in Spiritum Sanctum, Christus
non potest dici mortuus, ex quibus impossibilis est redemptio.
Ad hoc dubium respondet B. Meisnerus in §. 51. V. *Quest. III.*
p. 58. Finale scilicet impœnitentiam nihil aliud esse quam non
apprehensionem satisfactionis Christi, ut propterea inter illam &
istam non adeò commodè distingui possit. Igitur sciendum
est, Christum mortuum esse pro omniū incredulitate tum origina-
li, tum actuali, usque ad punctum & momentum illud, quo vi-
tam quis finit, in quodum quoque finitur & impeditur processus
in infinitum. Ad secundum nostrum allatum argumentum, rege-
rit *Wendelinus in exercit. 64. §. 3.* intelligi in Scriptura Sacra
per mundum electos & salvandos. Adducit ibi ea gratia *Rom. IV.*
v. 13. *2. Cor. V. 19. in System maj.* quod post obitum ipsius lucem
vidit, *lib. I. cap. 17. p. 671. Joh. XII. 47. c. XVII. 23.* imo vult per
mundum intelligi principaliter gentiles per universum mundum
dispersos, qui olim extranei erant à pactis promissionis, & ideo
Judæis, qui sibi solis Messiam venditabant & gentiles exclude-
bant, opponi, sed illa loca nondum probant in scriptura vocem
mundus pro electis usurpari, *Rom. IV. 13.* dicitur quidem Abra-
ham hæres mundi per justitiam fidei, hoc est, Abraham nullis ope-
ribus, nulla vitæ sanctimonia, quæ alioquin insignis erat, prome-
ruit, ut ipsi tam multa, tamque præclara promitterentur, sed fuit
mera Dei gratia, quam & posteri non suo quodam merito sed ju-
re hæreditario per fidem consecuti sunt. Expresse enim scriptum,
non obedientiam Abrahami, qua paruit vocanti, sed id tantum uni-
cum, quod credidit, reputatum ei esse ad justitiam. Malè verò
exinde infert *Wendelinus.* Ergo mundus notat electos (1) malè
ad antecedentia id refertur, quia v. 11. Abrahamo ut Patri Privile-
gium aliquod personæ adscribitur, at h. l. v. 13. non solum Abraha-
mo sed etiam ejus semini κληρονομία & κόσμος attribuitur. (2) A-
braham non dicitur Hæres sed Pater credentium. Ergo nomine
mundi, cujus hæres Abraham factus esse dicitur non possunt fide-
les in mundo intelligi. Breviter & verè, per mundum non homi-
nes

nes hic viventes, sed futura vita intelligitur, *Hebr. VI. v. 5. Job. III. v. 16.* Quod attinet locum *2. Corinth. X. v. 19.* eos nomine mundi intelligit *Wendelinus*, qui reconciliantur Deo, & quibus non imputantur peccata, & hos solos esse electos supponit: contra dicit Apostolus reconciliatum fuisse mundum, id est, omnes singulosque homines in mundo: nam mundi vox in scriptura nulpnam electos tantum significat, sed vel impios, tantum vel pios & impios simul quæ sunt verba *B. D. D. Balduini Comment. in hunc locum p. 639.* Ita quoque *Job. 12. 47. c. 9. 23.* mundus non notat electos quod vel ipse *Calvinus in Job. 17. 12.* agnoscit, eò, quod toto hoc capite mundi nomen pro reprobis accipiatur & continuo hic mundus ab omnibus, qui sunt Christi separetur. *Job. 12.* de mundo ad quem servandum Christus missus est, qui venit servare Ἰσραὴλ πολωλός, non tantum electos qui nec soli perierant *Math. 19. Luc. 19. 10. conf. 1. Tim. 115. Ebr. 2. 14. 15.* quod si principaliter nomine mundi gentiles, per univversum mundum dispersi intelliguntur, nec ideo reliqui excluduntur homines, neque omnes gentiles electi sunt, Distinguunt Reformati inter sufficientiam & efficaciam satisfactionis & meriti Christi. Concedunt utriusque universalitatem quoad sufficientiam, negant quoad efficaciam: quâ distinctione quoque orthodoxi utuntur. Orthodoxi per sufficientiam intelligunt acquisitionem salutis æternæ actualem, quoad intentionem Dei ipsamque satisfactionem & meritum Christi pertinens ad omnes & singulos homines, per efficaciam intelligunt satisfactionis & meriti Christi applicationem, collationemque salutis acquisitæ atque eventum hoc sensu Christum quidem pro hominibus universis & singulis actu ipso quoque consilium Dei Patris satisfecisse, iisdemque omnibus sua obedientia salutem æternam peperisse, quia verò plerique homines in impœnitentia perseverant, ideo fieri ut efficacia satisfactionis & meriti non omnes salventur. Reformati vero per suam sufficientiam intelligunt possibilem, non actualem, statuentes, quod Christus potuerit satisfacere pro omnibus hominibus, si hoc fuisset Dei consilium, non autem actu ipso pro omnibus satisfecisse ex intentione Dei, sed præ electis tantum, ideoque quod non omnes homines salvantur, non hanc esse causam quod ipsis non applicetur satisfactio & meritum Christi ad illos mi-

nimè pertinens, d. quia absoluto Dei beneplacito ab æterno rejeçti & reprobati fuere. Sunt qui nobiscum etiam videri volunt consentire, esse universalem efficaciam meriti Christi, Sed mera fraus est, intelligunt efficaciam quandam communem in singulis quidem hominibus existentem & operantem, sed quæ ex intentione Dei adhibentis salutifera minimè sit, neque quoad actum neque quoad idoneitatem intrinsecam producendi beatitudinem hominis supremam. Aut si forte dicant, Quibus hominibus acquisitam esse gratiam ex asse salutiferam & collationem quoque hujus gratiæ, hujus effectus universalis meriti Christi singulis esse à Deo destinatum, tamen & acquisitionem & destinationem statuunt conditionatam, pendentem ab hac conditione, si singuli credant: existimant, Deum ab æterno decrevisse Filium suum mittere ut præstita satisfactione remissionem peccatorum & salutem æternam omnibus acquireret eâ lege si ipsum per fidem amplecterentur; item, Christum pro te individuo satisfacisse, si tu id factum esse credas. Ex quo intelligitur Adversarios confundere acquisitionem cum applicatione; fictamque eorum esse concordiam in Ecclesiis nostris, quippe cum cæteris sociis suis conveniunt & tantum occultant suum errorem, quem candidiores inter ipsos palam profitentur.

§. 9. Consideramus hic meritum Christi non absolutè, ratione acquisitionis, nam ita ad objectum voluntatis antecedentis refertur, sed relativè seu ratione applicationis respectu hominum, quatenus sibi hoc meritum applicant, adeoque meritum Christi consideratur pro ut fidem includit, sine fide enim impossibile est Deo placere. Quid hoc aliud? quam luculentissimum testimonium ad nostram stabiliendam sententiam. Qualis est executio tale erit ipsum decretum. Atqui cum executione decreti ita comparatum est, ut nemo salvetur nisi per fidem. Addimus. Quomodo & ob quas causas Deus nobis benedixit in tempore, eodem modo & ob easdem causas nos elegit ab æterno. At intuitu meriti Christi nobis in tempore benedixit. Ergo intuitu meriti Christi nos elegit ab æterno. Major probatur *Eph. 1. v. 3. & 4.* Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, sicut nos elegit in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati. *Et 2. Thess. 11. 13.* Elegit vos
Deus

Deus ab initio ad salutem in sanctificatione Spiritus & fide veritatis
 Ubi fides veritatis certè ad electionem refertur, quod contra *Pis-*
catores notandum, qui fingit, Apostolum hic non commemora-
 re causas electionis, sed salutis. Porro argumentamur cum *B. D.*
Scherzere in *system. Loc. XVIII. de Prædestin & oppos. Reprob. p. 505.*
& aliis: Quicquid ex parte hominis requiritur, ut assumatur in hæ-
 reditatem vitæ æternæ ab æterno, illius intuitu electus est ab æter-
 no. Atqui ex parte hominis requiritur fides, ut assumatur in hæ-
 reditatem vitæ æternæ ab æterno, Ergo. Major patet, quia assum-
 ptio in hæreditatem ab æterno est ipsa electio, Minor probatur,
 quia nemo sine fide assumitur in hæreditatem vitæ. Ergo intuitu
 fidei in Christo electi sumus *Eph. 1. v. 4.* Significat autem eligi
 in Christo vel medium ratione subjecti in quo electi sumus, hoc sen-
 su nos esse electos in Christo tanquam membra in corpore vel indi-
 catur causa propter quam, seu meritoria electionis. Nos dicimus
 (1) eandem esse causam, Justificationis & prædestinationis *Eph. 1. 3.*
 4. Atque per meritum Christi Justificamur. Ergo & prædestina-
 mur. (2) conditionem prædestinatorum esse, quod non potuerint
 eligi, nisi cum Deo placati, Atque nulli homines excluso respectu
 ad meritum Christi potuerunt placati cum Deo dici. Ergo nec
 Electi extra meritum (3.) Christum frustra mortuum esse, si ex-
 tra meritum Electi essemus, quod absurdum est. Regerunt

I. Effectum non posse esse causam. Meritum Christi esse
 effectum, ergo meritum Christi non posse esse causam. Responde-
 mus (1) per Instantiam. Fides est effectus verbi *Rom. X. v. 17.* & si-
 mul causa est, ut verbum in homine operetur & effectus salutare
 edat *Hebr. IV. v. 2. & 7.* (2) exquisite loquendo fides se non habet
 ad electionem ut effectus ad causam, sed ut determinatio se ha-
 bet ad suum determinatum & ordo ad suum ordinatum. Quic-
 quid se (1) habet ut medium divinitus requisitum & prævisum in
 prædestinato, id non potest esse effectus, de fide verum est prius.
 Ergo & posterius. (2) *Matth. XIV. 73.* dicitur quod prævisi sint
 credentes per fidem. Ergo nos electos esse oportet per prævisam
 fidem tanquam per causam non efficientem principalem, sed in-
 strumentalem,

II. Fidem non ingredi electionis decretum, alias sequi, homi-

nes ob fidei dignitatem electos esse. Respondemus fidem ingredi decretum electionis. Electio est decretum Dei æternum de justificandis & salvandis hominibus. Atqui Deus in tempore non nisi per fidem justificat & salvat homines *Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3. Eph. 2. & c.* Ergo etiam ab æterno decrevit non nisi credituros justificare & salvare, & per consequens fides ingreditur decretum electionis, quod confirmat ipse Apostolus *2. Theff. II. v. 13.* Deum nos elegisse in fide, quia in Christo eligi non potuimus, nisi sub fidei Christum apprehendentis intuitu: Deinde distinguimus inter fidem consideratam efficienter, quatenus opus est meritorium, juxta Pelagianos & Pelagianizantes, quomodo non ingreditur electionem, & instrumentaliter tanquam organon apprehendens, uti hic in electione consideratur.

III. Meritum Christi esse quidem causam meritoriam, non verò impulsivam. Sed falso quia continetur meritoria sub impulsiva.

§. 10. Perseveranter credituri prævisi sunt subjectum, seu potius objectum electionis. Distinguimus (1) inter ordinem executionis & inter ordinem intentionis, ille respicit fidelem, hic autem hominem miserum & peccatis obnoxium. Dist. (2) inter materiale objectum & formale, illud est homo creatus & lapsus, hoc sunt finaliter credentes, vel homo vocatus vel vocationi parens, justificatus & finaliter credens vel justificationis gratiam finaliter retinens ut dicitur *Rom. VIII.* quos justificavit in tempore, eos glorificavit, [ab æterno glorificare decrevit, i. e. prædestinavit.] Non omnes igitur homines indiscretim ad salutem sunt electi, sed saltem distinctè prævisi, ut ex §. 12. constabit. Primò quod attinet objectum materiale, seu ubi distinximus inter ordinem intentionis, totum genus humanum non solùm creabile, sed jam creatum, non labile, sed lapsum sub se continet. Excluduntur igitur Angeli ab electione, quippe mali angeli non eliguntur, quod manifestum est. Boni vero nunquam in statu peccati fuerunt. Ergo Angeli Terminò Prædestinationis à quo destituuntur. Imò non potuerunt eligi, orlinatio enim ad vitam æternam non fit extra Christum, ac ipsos in Christo electos esse inconvenienter dicitur. Qui enim per Christum non redempti sunt, etiam in Christo non electi sunt.

Atqui

Atqui Angeli [nec boni nec mali] per Christum non redempti sunt. Ergo. Minorem confirmat Scriptura Sacra, Christus missus est, ut liberaret [non Angelos bonos, sed] eos, qui in timore mortis [quod prædicatum non in Angelos, sed homines quadrat] per totam vitam obnoxii erant servituti, non enim Angelos sed homines assumpsit *Hebr. 11. 15. 16.* Consentiant in hac sententia ipsi Reformati, qui vocantur supralapsarii, paucissimis exceptis. Disputavit pro hac sententia Maresius ad confessionem Belgicam, *VValaus LL. CC. & Synodus Dordracena Cap. I. de Prædestinatione art. VII. & XV.* Huic orthodoxiæ se opponunt Papistæ & Reformati. Sic enim scribit *Thomas p. 1. q. 23. art. 1 ad 3.* Prædestinari convenit Angelis sicut & hominibus, licet nunquam fuerint miseri. Hinc prædestinationem in genere ita definit *quest. 24. art. 1.* prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam. Thomam sequuntur *Scotus in 1. dist. 4. quest. 1. & in 3. dist. 7. quest. 33. Bonaventura in 1. dist. 40. art. 1. quest. 2. Durandus in 1. distinct. 41. q. 1. Bellarminus Tom. 5. lib. 2 de gratia & libero arbitrio cap. 18. col. 639. Polanus in didascalica prædest. cum quo consentit Bucanus loco 36. p. 420. Calixtus quoque Angelos electos dicit, quem refutavit B. Hülfeman. Dialys. Problem. calist. fol. 368.* At distinguimus inter electionem latè & strictè sic dictam, vocantur quidem Angeli in Scriptura electi, sed γενικῶς latè pro prærogativa & præstantia non ειδικῶς strictè pro prædestinatione filiorum Dei ad vitam æternam. Præterea electio de qua nos loquimur concernit illos, qui fuere lapsi in Adamo atque Boni Angeli nunquam lapsi sunt, ergo nec electi.

§. II. Diximus in antecedente. §. dist. 2. objectum materiale esse solos homines seu totum genus humanum in Adamo lapsum, quam sententiam jam affirmativam defendimus & probamus (1.) Ex universali Dei misericordia erga omnes homines. Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: Qui credit in eum salvetur; qui vero non credit condemnetur *Joh. III. 16. 18.* Hinc argumentamur. Quibuscunq; Filius deditus est, ut credant in eum, & vitam æternam habeant, illi sunt objectum materiale electionis. Atque omnibus datus est Filius &c. Ergo. (2) Ex indis-

creta

creta omnium hominum vocatione : Ubi Deus omnes homines serio vult salvos fieri *1. Tim. II. v. 4. 2. Pet. 3. v. 9.* Inde gravissimas querimonias habet de obnitentibus & reluctantibus *Matth. XXIII. v. 37.* Jerusalem Jerusalem, qui occidis Prophetas & lapides eos, qui ad te missi sunt : quoties volui cogere Filios tuos, quemadmodum Gallina pullos suos, sed nolulistis, Ubi not. (1) Christus de se non solum ut homine, sed etiam ut Deo loquitur, quia (α) Prophetas, quos ad Judæos dicit esse missos, hos tamen se *v. 34.* sapientiam Dei *Luc. XI. 49.* ab æterno genitam *Proverb. IIX. 22. seq.* testatur misisse, quod est opus veri Dei *Jer. XXIII. 21. & cap. XXVII. 9.* (β.) quia pœnè Judæis inobedientibus denunciata *v. 38.* gravissima *Luc. XII. 41. seq.* atrocitatem peccati arguit, peccatum autem aberrat à lege Dei *1. Joh. III. 4.* Lex denique continet voluntatem ipsius Dei (legalem) (γ) accedit, quod Christus se voluntatem minimè suam, puta solum *ut Joh. XII. querere, sed voluntatem Patris mittentis Joh. V. 30.* divinam sine dubio, eandemque cum voluntate Christi, ut Deus est, testatur (2) dicit se voluisse congregare Filios Jerusalem h. e. cives Hierosolymitanos & populum Judaicum malignantem universum ad Hierosolymam, ceu matrem suam spiritualement, distinctis vicibus, Religionis & cultus gratia confluentem, hos verò filios se congregare voluisse dicit, tanquam oves dispersas *Joh. X. 12. conf. Matth. XII. 30.* perditasque domus Israel *Matth. XV. 24.* colligere & adducere ad veram Ecclesiam *Joh. X. 16.* ad congregationem Sanctorum, ad civitatem Dei viventis, Hierosolymam cœlestem *Ebr. XII. 22. & 23.* (3) voluisse scēpissime congregare continuâ successione, alios atque alios mittendo Prophetas, cæterosque Legatos hos tamen Sapientes & scribas *v. 34.* docente particulâ interrogativâ quoties. Ergo serio voto ac studio (4) congregare, quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, Ergo naturali ardentissimoque Φιλανθρωπίας & beneficentiæ affectu adsciscere, pervenientesque protegere, atque defendere, ac tandem regno gratiæ transferre in regnum gloriæ (5) Sed Judæos noluisse congregari, ubi particula *καὶ* est adverbialiva sicuti *cap. XI. 17.* cecinimus vobis & non saltastis, deinde illa notitia actualis est, & malitiosa, non tantum originalis, ut pote occidentium prophetas & Lepidantium legatos Dei,

Dei, ideoque contemptorum consilii DEI adversus ipsorum salutem. *Luc. VIII. 30.* durorum cervice & incircumcisorum corde & auribus, semperque resistentium Spiritui S. *Act. VII.* & contumaciter non volentium venire ad Christum, ut vitam habeant *Joh. V. vers. 40.*

§. 12. Huic sententiæ extremè adversantur Reformati, *Beza part. 2. Respons. ad Mompelg. Colloq. p. 194.* Hoc dico, nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum, quo voluerit, velit, aut voliturus sit Deus singulorum misereri. Et *Renech. de prædest. p. 114.* Illi, inquit, qui Deum omnium misereri & singulos salvari velle sibi imaginantur toto cœlo errant & magnum peccatum admittunt. Deus absolutè itidem vult electos salvos fieri & absolutè itidem vult reprobos non servari, *Zanchius in Miscell. p. 303.* Præprimis autem hic notandus est *Beza*, qui in *Colloq. Mompel. p. 241.* ita scribit, *Certe nobis intolerabilis vox visa est, Christum esse mortuum pro damnatis.* Et in *Respons. part. 2. ad acta p. 22.* Iterum dico, & coram tota Dei Ecclesia profiteor, falsum, blasphemum, impium esse dicere Christum, sive quoad Dei Consilium, sive quoad effectum, non minus pro damnandorum peccatis passum, crucifixum, mortuum esse & satisfacisse, quam pro peccatis Petri, Pauli & omnium sanctorum. Est quidem hæc heterodoxa sententia supra jam à nobis refutata, sed repetimus nunc illam data hac occasione nonnulla adversariis dubia enodaturi. Objiciunt (1) ex *Matth. XXVI. 26.* Christum sanguinem dedisse pro multis *Marc. X. v. 45.* animam dedisse pro multis. Unde colligunt; quicumque sanguinem fudit pro multis, & animam dedit pro multis, ille non dedit pro omnibus, sed aliquibus solum. R. est fallacia æquivocationis, quia vocabulum multitudinis sæpè significat omnes, ut *Matth. XX. v. 14.* multi sunt vocati, pauci electi. Non ergo valet collectio; Christus pro multis effudit suum sanguinem, Ergo non pro omnibus. Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, id est omnes. Confer. *v. 12. & 13.* Sic *Dan. XII. 12.* multi edormientibus humi expergiscuntur, hoc est, omnes. At inquirunt: Si Christus verè pro omnibus mortuus, sequetur, ipsam effectum & fructum mortis ad omnes pertinere. Resp. Pertinet fructus mortis ad omnes, sed fruitio fructus tantum ad recipientes

D

tes

tes eum; defectus ille non oritur ex defectu meriti, sed ex defectu subjecti malè sibi hoc meritum applicantis. Non enim sufficit mortem Christi hominibus offerri, sed etiam fide eam oportet accipi, quam fidem Deus ordinariè in cordibus hominum per Spiritum Sanctum mediante verbo & sacramentis accendit.

II. Obj. *Joh. XVII. v. 9.* ubi Christus dicit, se non orare pro mundo, inde inferunt, pro quibus Christus non oravit, illos non redemit, Atqui pro mundo seu impiis non oravit. E. mundum seu impios non redemit. Verum Resp. Christus non ita simpliciter est intelligendus, quasi salutem mundi non curarit, sed pro malitia mundi non orat, ea ut sic & accepta Deo maneat, ut malevola voluntas impiorum in actum deducatur; ita enim sibi ipsi fuisset contrarius, qui Ecclesiæ conservationem magni æstimabat, quæ tamen mundi astutia impedièbatur. Inde B. Lutherus super *cap. 17. Joh. Tom. 6. fen.* Hoc modo inquit non orat pro mundo, sicut orat pro Christianis. Pro his & omnibus convertendis orat, ut in verâ permaneant fide; crescant, pergant, nec excidant, & qui adhuc nondum sunt fidem adepti, relinquentes mundum, ad ecclesiam accedant: Sed sicut mundus jam agit & negociatur; contra Evangelium furit & tumultuatur, non vult orare pro mundo, *Summa*, Christus orabat pro statu fidelium conservando, non orabat pro statu mundi.

III. Pergunt argumentari; Ad quos solos pertinet Christus, ad eos solos etiam pertinet ipsius mors & passio. Atqui ad solos electos pertinet Christus *Matth. XV. v. 24. non sum missus nisi ad oves perditas Israël.* Ergò. Verum 1. perditæ oves Israël solæ & omnes non sunt electi, quod nollent ex gentibus venientes Reformati, quorum pars ita non esset inter electos; 2. Servator docet, officium suum per miracula asserendum juxta promissionis ordinationem tantum inter Judæos expediendum esse; Argumentum adèd est extra statum controversiæ.

IV. *Si in Tyro & Sidone talia miracula fuissent facta, pœnitentiam egissent in cinere & sacco Matth. XI. 21.* Ergo media pœnitentiæ illis ex absoluto decreto denegata? & per consequens Deus noluit singulorum misereri. Resp. dist. inter media ordinaria & specialia seu extraordinaria, hæc, non illa Tyriis & Sidoniis fuerunt denegata.

V. Obj.

V. Obj. *Rom. IX. Jacobum dilexi, Esavum odio habuit.*
 Resp. 1. malè explicatur hic locus de absoluta electione Jacobⁱ
 ad vitam æternam, & de absolutâ rejectione Esavi ad æternam
 damnationem. Intelligit Apostolus temporalem possessionem
 terræ Chanaan, quæ Jacobo divinitus adjudicata, Esavo denegata
 fuit. Præterea agitur hic non de personis Jacobi & Esavi, sed de
 tota gente, ex illa quasi gemina radice oriunda: est enim hoc va-
 ticinium propriè intelligendum juxta Mosen *Gen. xxv. 23. & Ma-
 lach. I. v. 2, 3.* Duæ gentes sunt in utero tuo & populi duo ex ute-
 ro tuo dividentur, populusque populum superabit & major er-
 viet minori. Ex quibus dictis constat, Deum nequaquam ab-
 soluto quodam amore Jacobum, absoluto odio verò Esavum
 complexum esse: Sed dilectio Jacobi erat propositum Dei quo
 Jacobum anteponebat Esavo in jure primogenituræ, celebritate
 hæreditatis, & affinitate Messia; odium vero Esavi erat propo-
 situm Dei, quo postponebat Esavum Jacobo in privilegiis illis ante
 denominatis.

Instant Adversarii, verba hæc non solum ostendere Esavum
 fuisse typum æternæ illius reprobationis gentis Judaicæ, sed
 ipsum quoque Esavum verè coram Deo reprobatum & damna-
 tum fuisse. Resp. Quod si prius concedamus, tamen non ab-
 solutè, sed propter prævisa peccata odit Esavum. Deus enim ne-
 minem reprobat absque prævisione infidelitatis & impœnitentiæ,
 quare Deus non odit Esau hominem, sed Esau peccatorem teste
August. lib. 1. ad Simplician. quest. 2. Deinde nondum probatum
 fuit ab adversariis, odium Esavi includere æternam rejectionem.
 Equidem non negamus, Esavum multis modis fuisse impium, ac
 profanum, ut eum scriptura nominat *Hebr. XII. v. 16.* interim ta-
 men non meminit, ipsum damnatum esse. Imo Lutherus sentit il-
 lum rediisse in gratiam cum fratre, & se adjunxisse veræ Ecclesiæ,
 ut fieret particeps promissionis spiritualis, si non ex promissione,
 tamen ex gratia. Quare & nos nolumus Esavum damnare, quem
 scriptura non damnavit.

§. 13. Sicut hominem prædestinationis objectum materiale
 diximus; ita homo vocatus, justificatus finaliterque credens ob-
 jectum adæquatum & formale appellatur. Sunt etiam quidam re-

probi, qui ad tempus verè credunt, sed in ea fide ad finem vitæ non perseverant. Hinc Electi dicuntur, qui perseverant ad finem *Matth. X. 22. eap. xxiv. 13. Marc. xiii. 13.* qui permanent in fide verâ, salvifica & finali fundati & stabiles *Col. I. v. 23.* qui retinent fidem & bonam conscientiam *1. Timoth. I. 19.* qui in virtute DEI custodiuntur per fidem in salutem, *1. Pet. I. 5.* & fideles reperiuntur usque ad mortera *Apoc. II. v. 20.* Est autem illorum numerus parvus, uti constat *Matth. xx. 16. xxii.* Multi quidem sunt vocati, sed pauci electi, qualis jam est decreti executio, tale quoque est decretum. Atqui decreti executio non est absoluta. Ergo nec ipsum decretum Electionis est absolutum. Majorem concedunt Adversarii. Minorem probamus: quos præscivit, eos prædestinavit *Rom. viii. 29.* Electi sunt secundum *εὐνοσίωσιν* *1. Pet. I. v. 2.* Ii autem pauci sunt, ut ante dictum fuit *Matth. xx.* & adhuc dicitur *1. Cor. I. 26. seq.* Non multi nobiles, sed quæ stulta & ignobilia sunt mundi, Deus *ἐξελέξατο* elegit. Aliter autem disquirimus de particularitate Electionis, quam de causis illius particularitatis: seu quod electio non sit particularis respectu Dei, sed ex parte hominum efficaciam meriti Christi rejicientium. Hanc particularitatem olim negavit *Samuel Huberus*, qui Patriâ fuit Bernensis ex Helvetia oriundus, Pastor in Burchdorff, is cum non posset cum collega suo convenire, conventus est habitus & Huberus, cum suam sententiam non veller retractare, relegatus est; sic venit Tubingam, & contra Calvinianos disputavit, quorum absolutum decretum refutare conatus est. Anno 92. superioris seculi Wittebergam vocatus acriter contra Calvinianos disputavit, ubi cum videret B. Hunnius eum non rectè locutum de Electione, eum privatim monuit. Anno 93. hujus seculi palinodiam cecinit & juravit F. C. Anno autem 94. tumultus quidam movebantur ob hujus sententiam, Missi in hunc finem commissarii sunt ab Electoratus Administratore Wilhelmo, sed cum Huberus nollet cedere ab officio remotus est in fine anni 94. Hæc autem verba ipsius sunt, quibus universalem electionem vult defendere: Die heilige Schrifft weiß von solchen Calvinischen Außersuehsten nichts/ 2c. Sondern das findet man wol/ daß Gott nenne Außersuehste/welche er sonst nenne seine Beliebten / oder die er vom Fall Adams durch

Durch seinen Sohn wiederum erlöset hat. Und da machet die Heilige Schrift keinen Unterscheid unter den Menschen. Wo die Apostel/ und wann die Apostel vom Evangelio Christi/ darinnen der Welt Erlösung stehet/ geprediget haben/ da haben sie alle mit und durcheinander genennet die Geliebten des HErrn/ die Geheiligten/ die Erlöseten/ die Auserwehlten. vid. librum ejus, cui fecit titulum; Beständige Entdeckung des Calvinischen Geistes p. 162. Et in scripto, cui titulus est. Rettung meiner allezeit beständigen Bekändniß pag. 5. hæc leguntur. Zwar das sagt er (Huberus) wol/ und bekennet immerzu/ daß Gott in Christo keine Sondernung gemachet/ sondern einen in ihm/ so wol als den andern erwahlet/verordnet habe zum Leben: Und bekenne dabey/ daß hernach/ da die Menschen das Leben in Christo annehmen solten/ etliche Gläubige werden/ und etliche Ungläubige bleiben/wie sie in Adams Fall zugerichtet waren/ und da sie noch erst dazu alle Kraft und Wirkung des Todes Christi zu ihrem Leben/ vor sich stossen. Sed commiscet *Huberus* multa, quæ non sunt commiscenda. Ad allatum locum *Matth. xx. xxi.* Dupliciter respondet *Huberus*. Primo distinguit inter ἐκλεκτός & ἐκλελεγμένος; se fateri, paucos esse ἐκλεκτός, omnes autem ἐκλελεγμένος. Secundo distinguit inter generalem & specialem electionem, putat hic esse sermonem de speciali, non autem generali electione. Respondemus, distinctionem inter ἐκλεκτός [nominaliter] & ἐκλελεγμένος (participialiter) nullam esse. Quicumque enim eligitur verbaliter, ille etiam est electus participialiter. Alteram quod concernit distinctionem inter specialem & generalem electionem merito rejicimus, quia illa non est fundata in Sacris literis, imo ignorat *Scriptura Sacra* aliam quam particularem electionem. Deus enim ab æterno prævidit, non omnes Christum fide finaliter perseverante apprehensuros esse; Igitur nec elegit omnes, sin autem elegisset, quod absurdum, Electio non esset Electio, quia in suo significato includit separationem quorundam, quod comprobatur vis præpositionis *E. vel Ex*, ex quâ composita est. Obj. (1) Qualis causa talis effectus. Atqui causæ electionis sunt universales, scilicet misericordia Patris, meritum Filii, & gratia Spiritus. Ergo & Electio erit universalis. Respondemus, in minore non fieri sufficientem enumerationem causa-

rum, quia omittitur fides, quæ non est omnium *II. Thes. III. 2.* Excipiunt adversarii, fidem non esse electionis causam, cum non solum tempore, sed etiam ordine sit posterior electione. Dist. inter actum & inter intuitum fidei. Ille temporalis, hic æternus est. Cum autem fides causa electionis appellatur, non intelligimus causam instrumentalem physicè efficientem, vel electionem ab æterno, (quia fides tum nondum existit) vel justificationem in tempore (quia consistit in remissione peccatorum, quæ est actus voluntatis divinæ inorganicus & nullam causam instrumentalem efficientem agnoscens) vel glorificationem in altera vita, (quia fides non amplius existit) quod manifestum; sed tantum instrumentalem & quidem non necessariò totius decreti; sed saltem partis nempe meriti Christi, quod fides apprehendit, *Vid. Menzer. in resp. ad defens. sec. part. convers. Pruten. D. Joh. Crocii p. 92.* Convenientius autem ducimus, fidem secundum scripturam Sacram appellari conditionem testamentariam, ad quam respicit Testator, Elector & Reprobator. Obj. (2) *ex Eph. I. v. 4.* Quos redemit Christus, illi sunt electi. Atqui omnes redemit E. Major prob. quia in Christo facta est electio Resp. Electio quidem facta est in Christo, sed quomodo? Electi sumus in Christo, sed fide apprehenso. Similiter possumus argumentari. Quos Christus redemit, eos justificavit, quia in Christo justificamur & salvamur. Atqui omnes &c. E. At conclusio est absurda. Quando enim Scriptura S. dicit nos esse electos in Christo, non indifferenter omnes homines, sed duntaxat perseveranter credentes intelligit. Soli finaliter credentes sunt electi. Atque non omnes homines finaliter credunt Ergo. Obj. 3. *ex Rom. V. v. 18.* Sicut per unius delictum in omnes homines condemnatio, sic & per unius justitiam in omnes homines justificatio. &c. Vim inferre textui, quando *Huberus* ex istâ Paulina antithesi colligit: sicut omnes homines in primo Adamo perierunt, ita omnes in secundo Adamo ad vitam sunt prædestinati. Paulus enim ne verbo quidem meminit prædestinationis in hoc capite, sed de Justificatione agit. Si autem valeret illa collectio, sequeretur, omnes quoque homines justificatos esse, quod antea absurdum pronuntiavimus, & quidem ob id, quia Scriptura passim docet, justificationem fieri per fidem, fides vero non est omnium, Ergo nec justificatio.

Ub

Ubi enim fides deficit, ibi quoque electio propriè sic dicta non est. Confundit igitur (1) *Huberus* articulum redemptionis & electionis, (2) non distinguit acquisitionem ab applicatione meriti Christi. Illam universalem esse concedimus, hanc verò particularem, vitio hominum reparationis gratiam non agnoscentium aut contemnentium.

§. 14. Forma Electionis complectitur totum illum ordinem, quem Deus in Electionis decreto sibi propositum habuit, quo actio eligendi determinata: facta utpote, non secundum opera, sed ex merâ gratiâ intuitu meriti Christi fide apprehensi. Ponit quasi *πρόθεσις* majorem, inque ea speciem electorum constituit & sistit. Subsumit *πρόγνωσις* & speciem finaliter credentium ad individua applicat. Atque sic ex Individuali hac subsumptione sequitur conclusio, seu ipsa prædestinatio. Unde Syllogismus prædestinatorius sequens est:

*Quicumque finaliter est crediturus, ille esto salvus,
Atqui Petrus, Paulus, Johannes &c. est finaliter crediturus
Ergo Paulus, Petrus Johannes, &c. esto electus.*

Πρόθεσις hæc est; Per quem & in sortem asciti sumus prædestinati secundum propositum ipsius, cujus vi fiunt universa juxta decretum voluntatis Ipsius *Eph. 1. 5.* Salvos fecit nos & vocavit vocatione sancta non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data quidem est nobis per Christum Jesum ante tempora æterna. *2. Tim. 1. 9.* *πρόγνωσις* probat locus *Petrinus 1. Pet. 2. 9.* & *Rom. II. 29.* Quos præscivit, eos quoque prædestinavit seu prædefiniavit. Unde fit *πρόορσμός. v. 30.* Quos prædefiniavit, eosdem & vocavit: & quos vocavit, eos & justificavit: quos autem justificavit, hos glorificavit. Quos Deus distinctè prævidit, vocationem & justificationem admitturos, inque Christum finaliter credituros, illos elegit. Qui enim crediderit (usque ad finem vitæ) salvabitur, qui vero (in fine vitæ) non crediderit damnabitur. *Marc. XVI. 6.* Quos præscivit, jam finaliter credituros, eos quoque prædestinavit. Creavit Deus hominem & prædestinavit, ut si obediens esset, in vita permaneret; si inobediens esset, sententiam mortis subiret. *August. lib. de prædestinat. Dei, cap. 2.* Cavendum autem hic est, ne cum *Piscatore in not. ad Vorstium p. 261.*

Macco-

*Maccovio Theol. Polem. cap. 4. p. 5. & Pontificiis Casp. Ram. Estio, Francisco Sylvio, Joh. de Rada controu. inter Thomam pag. 1. controu. 30. art. 3. conclus. 5. & alius, hunc errorem imbibamus, quasi divina præscientia dependeret ab ordinatione divina & decreto efficaci. Docet enim aduersa pars, omnem præscientiam futurorum etiam contingentium illorum, in Deo supponere antecedentem actum voluntatis divinæ, ordinantis, ut fiant, ac decernentis, tam efficaciter absolutèque ut non possit non fieri. Concedimus equidem, scientiam visionis, quâ Deus præscit futura contingentia in signo rationis præcedere decretum voluntatis divinæ, sed partim permissivum de permittendis futuris, prout vel bona vel mala illa futura sunt. Mala enim Deus facere velle non potest, decrevit tamen ut fiant permittere. Urgere solent ex Act. XI. v. 23. Hunc videlicet *jesum definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum cum accepissetis, crucifixum interemistis*, ubi definitum consilium seu decretum præponitur præscientiæ Dei, ideoque quod hoc præscivit Deus in decreto absoluto & efficaci. Sed negamus consequentiam: Non enim sequitur; Deus vel Christus definito consilio & præscientia divina traditus est Judæis. Ergo præscientia Dei ab illo definito Dei consilio dependet, idque quia consilium & præscientia respiciunt diversa objecta, præscientia quidem factum Judæorum pessimum à Deo permissum; Definitum autem Dei consilium respicit salutem generis humani. ad quam Deus pro sua sapientia impium factum Judæorum reduxit & direxit, quod Petrus ipse declarat in subsequentibus.*

§. 15 Cognata est hæc erronea Adversariorum sententia alteri, quâ prævisionem Dei agnoscunt causam suæ futuritionis vid. ex *Reformatis Maccovium, & ex Pontificiis Vasquez in Tom. L. disp. 67. cap. VI.* Falsò enim supponunt, Deum omnia quæ fiunt ac sunt, voluisse, ut fierent ac essent; cum Deus peccata minimè velit *Ps. v. 5.* quæ tamen fiunt ac sunt. Nos contra negamus: Prævisionem Dei esse causam rerum præscitarum, Quasi ideo res fierent, quia Deus præscit. Probamus hoc sequenti argumento: Quicquid non influit in esse rerum præscitarum, illud non est eandem causa, Atque prævisio Dei &c. Ergo, Minor satis est evidens

evidens. Sicut enim peritus Astronomus præscit & prædicat futu-
 ram Eclipsin necessitate causarum naturalium, quanquam ob præ-
 scientiam suam, tanquam causam non fit illa Eclipsis; ita Deus
 actiones hominum, eorundem futura eventa infallibiliter quidem
 præscit, illius prævisio autem non est causa illarum actionum. O-
 ptimus est locus *Jerem. XXI. v. 3. 9. coll. cum cap. XXXVIII. 2.* ubi
 (1) obsesâ à Nebucadnezare Hierosolymâ, Rex Zedekias à Pro-
 pheta quærebat futurum belli eventum, (2) respondebat Deus
 per Jeremiam: Qui manerent in civitate & obstinatè restituri
 essent, morituros esse aut gladio aut fame, aut peste, qui vero egre-
 derentur, & ad Chaldæos deficerent, animam suam loco spoliis ser-
 vaturos esse, quemadmodum etiam prius accidit, dedere se no-
 lentibus teste historia *2. Reg. xxv.* & hic apud *Jeremiam xxxix.* (3)
 ita præscientia Dei quidem infallibilis erat, non tamen influebat
 in esse mortis civium Hierosolymitanorum præscitæ, utpote ne-
 candorum, quotquot manerent ac resisterent diutius, gladio, aut
 fame, aut peste, quam (4) Deus ipse viam mortis vocat, hoc est,
 mansionem obstinatæ repugnantæ in civitate occasionem & me-
 dium esse patiebatur incurrendi in vim gladii hostilis, famis, pe-
 stis, manifestas illas mortis futuræ causas (5) & hanc viam mortis,
 oppositamque vitæ per egressum & deditioem, Deus saltem o-
 stendebat Judæis relicta ipsis libertate eligendi quamcunque vel-
 lent. Rectè igitur statuimus cum *Formula Concordiæ p. 799.*
 Præscientia Dei prævidet & novit etiam mala, antequam fiant:
 Sed non ea ratione quasi Dei voluntas propitia illa sit ut fiant. Sed
 ea, quæ perversa diaboli & hominum voluntas molitur & effice-
 re conatur atque etiam effectura est, hæc Deus omnia longè an-
 te prævidet & novit. Et ipsius præscientia etiam in malis rebus &
 operibus ordinem suum ita servat, ut à Domino rebus malis (quas
 Deus nec vult, nec approbat) certæ metæ ponantur atque circum-
 scribantur, quas egredi nequeant, & iisdem præscribitur, quam-
 diu durare debent. Et hæc omnia Dominus ita gubernat, ut ad
 nominis sui divini gloriam & ad electorum suorum salutem ce-
 dant: impii verò confundantur & pudeant. Et pergit: Princi-
 pium autem & causa mali non est ipsa Dei præscientia: [Deus
 enim non creat, procurat, efficit aut operatur malum; Sed neque

E

illud

illud iuvat aut promovet) at Diaboli & hominum prava & perversa voluntas, causa mali est. Sic enim scriptum est: *Perditio Tua ex Te est, Israël: tantummodo in me SALUS tibi Ose. XIII. 9.* Et David inquit: *Non Deus volens iniquitatem, tu es.*

§. 15. Sicut jam ex ante memoratis elucescit, præscientiam divinam non esse causam rerum præscitarum: Ita quoque haud difficile alium Reformatorum errorem refutare possumus, quod Deus scilicet absoluto omnes causas antegresso decreto aliquos elegerit, alios verò præterierit, & æternæ morti adjudicavit. Quæcunq; Electio & reprobatio certas causas habent, ob quas ab æterno factæ, illæ non sunt absolutæ sed ordinatæ. Atqui nostra electio & Reprobatorum Reprobatio &c. E. Major est in aprico, minoris certitudo quoad primam partem seu electionem constat ex causis supra positis, breviores ideo hic quoad alteram partem erimus. Poni-mus verò causam reprobationis solam incredulitatem, quâ homo contumaciter gratiam Dei salutiferam per verbum oblatam contemnit, rejicit, finaliter in contemptu & *ἀπιστία* persistit, ac ita infernalium cruciatuum semetipsum reum facit. Secundum durtiem tuam ac *ἀμετανόητον καὶ ὀργίζον* cor pœnitere nescium, thesaurizas tibi ipsi iram, in die iræ quo patefiet justum Dei iudicium, qui redditurus est unicuique juxta facta sua, his quidem, qui perseverantes in benefaciendo, gloriam & honorem & immortalitatem quærunt, vitam æternam: iis vero qui contentiosi, & qui veritati non obtemperant, sed quidam obtemperant injustitiæ ventura est indignatio & ira *Rom. II. v 5. 6. 7. 8.*

Obj. I *Deum aptasse vasa ad interitum Rom. IX. v. 22.* ubi *Beza* vocabulum aptasse reddit apparatus, adaptata, creata ad interitum. Resp. *Bezæ* versionem esse falsissimam. Non dicit Apostolus, quod Deus vasa iræ aptet, sed quod vasa illa iræ ad interitum aptata cum multa sapientiâ sufferat: Deus enim hunc finem in creatione nunquam intendit, ut aliquos conderet ad vitam, aliquos tantum ad interitum; sed vidit Deus omnia, quæ fecerat & erant valdè bona *Genes. I.* Unde *Augustinus; Deus vasa iræ non fecit, sed invenit. Vasa gratiæ non invenit, sed facit.* Placet admodum illustris ad hanc materiam locus *Chrylostomi Tom. 1. Homil. 2. de laps. Hom. p. 545.* quem in commodum piorum peccatorum,

rum, quæ auctore illo carent, aut quibus tanta volumina, non vacat evolvere, transcribam. Cum Adam in media fuga sua esset, astans Deus clamabat; Ubi es? ubi imago mea primum formata? ubi paradisi pretiosissimus ornatus? ubi manuum mearum artificium? ubi imago regni mei nuper depicta? ubi nunc familiaris meus amicus? comparere non audentem animat; mortuum ad verba adhortatur, cogit vocans, ut respondeat; palpat voce quasi febre laborantem, ut dicto morbo, valetudinario se committat. Nomine vocat occultatum, ut vocationis mansuetudine animetur, & timore mortuus cogitationes refocillabundas assumat. Et quid divinam bonitatem, quæ se in omnia secula & populos effundit, in unum tempus concludo? mansuetus enim est, & etiam inimicis misericors. Et alicubi prior occurrit, ut conciliet inimicos; & ut ament hi, qui impegerant, studet artibus quibusdam efficere. Tantum apud illum est misericordia Pelagus. Idem vasa misericordiæ & iræ ex Epistola ad Romanos cap. IX. Tom. 4. p. 198. describens, unde quærit, alii vasa sunt iræ, alii misericordiæ? Ex propria voluntate. Deus verò, quoniam vehementer bonus est, erga utrosque bonitatem suam declarat. Neq; enim eorum tantummodo quos salvavit, sed & quantum in se fuit, Pharaonis, [se ipsum ad vas perditionis apparantis] etiam misertus est. Ipsius enim longanimitate potiti sunt non solum illi (Israëlitæ) sed & iste. Quod autem salvatus non est, totum per suam ipsius voluntatem stetit, ita ut quantum ad Deum attinebat, nihil ab illis, qui salvati sunt, minus habuerit

Obj. II. Exod. IX. v. 16. Ob id te constitui, ut ostenderem Tibi potentiam ut narrent nomen meum in universa terra. Resp. describitur in allato dicto extrema Pharaonis pervicacia, qui cum nullis minis vel plagis commoveri posset ad obtemperandum Deo, tandem extremam interneccionem ipsi interminatur Dominus, ut reapse experiatur potentiam insuperabilem ejus; contra quam tantopere hætenus infremuit. Et hac ratione quoque dicitur impium fecisse ad diem malum Proverb. xvi. v. 4. quod non ad absolutam Dei voluntatem pertinet, sed ad eam, quam judicariam & consequentem in scholis nominant.

Obj. III. Beatum Lutherum ipsorum sententiæ favisse, imo

eandem propugnasse, ex libro cuius titulum fecit *servum Arbitrium*, quare & nobis convenire, qui vestigiis ipsius insistamus probare, quod ipse non reprobavit. Verum Resp. Lutherum incitato libro agere de libero arbitrio in spiritualibus, non de prædestinatione. Et licet fortè duriuscule locutus videatur, nusquam tamen favit absoluto decreto, videatur ejus mens explicata in *comment. super Gen. cap. 26. f. 386.* ubi hæc verba leguntur. *Scripti inter alia (in libro de servo Arbitrio contra Erasmus) omnia esse absoluta & necessaria. Sed simul addidi, quod aspiciendus sit Deus revelatus, sicut in Psalmo canimus. Er heisset Jesus Christ/ der Herr Zebaoth/ und ist kein ander Gott. Jesus Christus est Deus. Sed illos locos omnes transibunt, & eos tantum accipient de DEO abscondito. Vos igitur, qui nunc me auditis meminertis hoc docuisse, non esse inquirendum de prædestinatione Dei Absconditi, sed ea acquiescendum esse, quæ revelatur per vocationem & ministerium verbi. Ibi enim potes de fide certus esse ac dicere: Ego credo in filium Dei qui dixit: Qui credit in Filium habet vitam eternam. Hæc eadem alibi in libris meis protestatus sum & nunc viva voce trado ideo sum excusatus. Ita neque Lutherus, neque Augustinus, talia dogmata propugnarunt, quamquam utrisque talia affingantur, de quo ultimo vid. Dn. Hannekenium suis in *Ektypis* & Excellentissimum Dominum Rudrausium in *Sylog.* p. 211, 212.*

§. 16. Finis electionis est duplex: alius ratione nostri alius respectu Dei. Finis ex parte Dei est laus gloriosæ gratiæ. O Profundas divitias tum sapientiæ, tum cognitionis Dei! Quam inscrutabilia sunt ejus judicia & ejus viæ impervestigabiles? Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit à consilio? Aut quis prior dedit ei? & reddetur ei. Nam ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia. Ipsi sit gloria in seculo Amen. *Rom. XI. 33. 34. 35.* & *Eph. I. 3. 6. 12.* Prædestinavit nos, ut adoptaret in filios per Jesum Christum in se se juxta beneplacitum voluntatis suæ *ἐἰς ἐπαίνον τῆς δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ* in laudem gloriosæ gratiæ suæ, quæ charos reddidit nos per illum dilectum, ut simus in laudem gloriæ ipsius.

§. 17. Finis ratione nostri secundum Gerbardum p. 202. dicitur

dicitur geminus, ad hanc vitam relatus *Eph. 1. v. 4.* Elegit nos, ut essemus sancti & immaculati coram Eo, ubi vocula *Ut h. l.* non est particula *Effectus* sed tantum *Finis*. Secundus ad vitam æternam spectans, nostraglorificatio & salus est. Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam *1. Thess. 5. 9.* & *Act. 13. 48.* Ordinati ad vitam æternam. Quare errant hic Calviniani, qui dicunt, quosdam à Deo absolutè electos esse eum in finem, ut in iis misericordiam, & alios plures absolutè reprobatos esse eum in finem, ut in iis justitiam suam declarare potuerit.

§. 13. Quod adhuc concernit *attributa* prædestinationis, nunc non attingemus æternitatem, & particularitatem, quia supra de iis prolixè tractavimus. Paucis reliqua memorabimus, quorum primum esto *immutabilitas*. Intelligitur autem hic non talis electio, quâ unus præ altero eligitur vel potius separatur ad officium politicum vel Ecclesiasticum administrandum. Nec disquiritur de Electione ad gratiam, quam sepius mutabilem reddi, haud difficile admittimus. Sed quaeritur: Utrum electio sumpta in propriissimâ & strictissimâ significatione, pro prædestinatione hominum in fide perseverantium ad salutem, sit immutabilis? Probamus hanc affirmativam sententiam (1.) ex immutabilitate decreti de finaliter credentibus salvandis, id quod adeò est ubique firmitudine æterna confirmatum in verbo revelato, ut dicendus sit Deus mutabilis, si id mutetur: videantur dicta *Mal. III. 6. & c.* (2) Ex expressa seductionis impossibilitate. Non enim possibile ponitur, in errorem seduci electos *Matth. XXIV. 24.* Surgent Pseudo-Christi & Pseudo-Prophetae & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur *εἰ δυνατόν* si possibile esset, vel fieri posset, etiam electi. Sinistrè nonnulli hanc impossibilitatem exponunt de difficultate seductionis Electorum, quia & is seducitur qui difficulter seducitur, sed secundum mentem Christi verba sunt sumenda prout jacent. Facient signa adeò magna ut etiam in errorem inducerentur electi, si possibile esset, quibus verbis non modo difficultatem, sed omnimodam prorsus impossibilitatem seductionis intellectam vult.

vid. *B. Meisn. Anthropol. S. Dec. II. p. 247.* Hoc quidem fa-

E 3 cilè

cilè largimur electos posse totaliter gratia Dei excidere, non autem finaliter. Spectamus enim hic electos non in sensu composito; ubi is, qui ex Deo est non peccat *Joh. 3. 9.* Sed in sensu diviso. Confirmari hoc potest sequenti argumento. Si Adam & Eva ad Imaginem Dei creati in justitia & veritate potuerunt excidere gratiâ, multò magis illi, qui tantum perfectionis gradum non sunt assecuti. Jam autem nullus post lapsum tantum gradum assequitur. Ergo nullus excludi poterit, qui non excidat gratia Dei, scil. ad tempus ad minimum. vid. Exempla frequentia *Exod. XXXIII. 4. seqq. Davidis 2. Sam. XI. & XII. Petri Matth. XXVI. Thomæ Joh. XX. 25.* Proindè hoc lubenter concedimus electos ratione imperfectæ renovationis, ita esse comparatos, ut possint, quantum in ipsis est, finaliter labi & perire; minimè tamen actu excidunt aut pereunt ob Dei Electos custodientis virtutem *1. Pet. 1. v. 5.* ob potestatem Christi *Joh. X. v. 28.* & tandem ob firmitatem decreti divini *II. Timoth. II. v. 19.* ut & infallibilem præscientiam. *Vid. D. Menz. Disp. 14. Thes. 92. Tom. I. disp. Giess. D. Hutterus in Form. Concord. p. 1124. 1177. & D. Meisn. Anthropol. S. Dec. II. p. 248.*

§. 19. Probè iterum hic cavendum est, ne hæc seductionis Electorum impossibilitas præbeat argumentum aut præsidium securitati. Hoc modo, si sum electus, & nullus Electus potest seduci & damnari, perinde est, benè an malè vixero, quia neccssario salvabor. Sed impiè. Si prædestinatus sum, id est, ordinatus ad vitam æternam per certa media, quæ in mea sunt potestate, consequendam, certo consequar vitam modo illa media adhibuero. Quare superest, ut juxta effatum Scripturæ cum timore & tremore salutem suam quis operetur.

§. 20. Certitudo Electionis, seu quod pii de sua electione in hac vita certi esse possint, sequentibus testimoniis probatur. (a) Quicumque credit in filium Dei, testimonium habet in ipso. Hoc autem est testimonium, quod vitam æternam nobis dederit Deus *1. Joh. V. 10. 11.* (β) Quicumque è verbo Dei certus esse potest, sibi omnes Electionis causas & omnia media competere, ille etiam de sua Electione certus esse potest. Atqui homo verè credens certus esse potest sibi omnes Electionis causas, & media compe-

competere. Ergo etiam certus esse potest de Electione suâ. Major est vera. Minor per inductionem probatur. Homo potest esse certus de gratia Dei *Tit. II. v. 11.* de merito Christi *1 Joh. II. 2.* de fide sua novit, Deum velle omnibus hominibus obicem non ponentibus dare fidem, quod *I. Tim. II. v. 4.* asseritur. Certus esse potest, Deum nisi in peccata gravia labatur, veniam peccatorum sibi velle concedere. *Ezech. XXX. 11.* Hinc concludimus aliquem certum esse posse suæ salutis. Spectat huc quoque dictum *Tertulliani l. de Baptism.* fides integra, inquit, est securus de salute. *Cyprianus l. 4.* Quis hic anxietatis & sollicitudinis locus est; quasi inter hæc trepidus & mœstus, nisi cui spes & fides deest. *Vid. Joh. Meisn. in disput. de libro Vita §. 80.* Sin jam, quod sæpè contingit, Vetus Adam hominem iterum in infernum præcipitare velit, oportet eum continuare in fide & tolerantiam stabilire usque ad finem vitæ; ne desperet de salute sua; *Esto fidelis,* ita inclamat aures Angeli Smyrnenensis vox cœlestis, *usque ad mortem, & dabo tibi coronam vite Apoc. II. 10.* Juxta ista sic se explorat civis Dei; *Rectè credo, sanctè vivo, patienter tolero, constanter perseverabo; vel clarius & cum Emphasi profundiori, confido in merito gratis me justificantis servatoris; studeo virtutibus Christiano dignis; crucem & afflictionem in censu Amoris Paterni filiali humilitate agnosco, & sic virtute Dei me permanensurum ad finem vite certâ spe propono.* Vel ad gradum infirmorum & tentatorum accommodatâ exploratione; *Ardentissime desidero fiducialiter credere; sanctè vivere, patienter tolerare; constanter perdurare; igitur in statu gratiæ divinæ & paternæ curæ me esse: certissimum habeo, & me ita habere necessarium vel invito animo & adversante tentatione duco:* Ob sichs anties/ als wolt er nicht/ laß dich es nicht erschrecken/ dann wo er ist am besten mit/ da wil ers nicht entdecken: Sein Wort laß dir gewisser seyn/ und ob dein Herr sprech lauter Nein/ So laß doch dir nicht grauen/ *vid. Dn. Presidem in Ektyp. suis p. mihi 235. & 236. B. Gerhardum de Elect. p. 207. seqq. & B. Scherzerum de Predestin. & oppos. Reprob. Loc. XVIII. p. 524. & 525.* Notandi hic veniunt quidam Pontificii & Reformati,

qui

qui nunquam de salute sua certi fuere, sed semper ad desperationis barathrum sunt deducti. Ita enim in *Concilio Tridentino Sess. VI. cap. XII.* statuunt. Nemo in hac mortalitate præsumere aut certo statuere debet, se esse in numero Electorum, & Aloysius *Bertramus ap. Bellarm. l. 2. de gemitu columb. cap. XI.* cur non amarissimè fleam, cum non certo sciam, an æternæ salutis compos sim futurus? Ad quam impiam sententiam Beatus *D. Chemnitius in Exam. Concil. Trident. de fide justif. part. prima* ita respondet. Qualis, Deum immortalem! est illa doctrina, ejus & summa est, ut anxietatis conscientie quærentibus consolationem conjiciantur in perpetuas hæsitaciones suæ cum Deo reconciliationis & vitæ æternæ. Et *B. Doct. Lutherus cap. 4. Gen.* etiamsi nullum peccatum fuisset in doctrina Pontificia, quam quod docuerunt, nos debere vagari & fluctuare ambigentes & dubios de remissione peccatorum, gratia & salute nostra, justas tamen haberemus causas, cur ab Ecclesia infideli nos sejungeremus. Quod attinet Reformatos, omnes quoque, dum particularitatem statuunt, de salute suâ necessarium est dubitare. Miserum igitur solatium est, quando dicunt, unumquemque fidelem debere credere se esse electum, ita ut ne reprobis quidem excludatur. Fructus hujus solatii ostendit Petrus Ilosvanus, Scholæ Cyngerinæ Rector in Hungariâ, [qui referente *Georgio Majore in Comment. 2. Timoth. 2. fol. 109.* juxta hominum aspectum & judicium sanctam vitam egit] quando se suspendit, Anno 1562, relictis testamentariis: ô me miserum, quem Calvinii doctrina de Prædestinatione in desperationem redegit. Huic addipotest illud, quod *B. D. Feurbornius in Disput. in cap. IX. Rom. hab. 1652.* de Calviniano quodam Studiofo, qui hinc Gissæ Anno 1647, desperavit, refert. Reliqua ut omitteremus, nostram disputationem finimus verbis Illustrissimi Principis in agone mortis constituti, cavete vobis ô charissimi Filii à doctrinâ Calvinianorum, nulla est in ea solatium, sed perpetua dubitatio. *vid. B. Gerhard. in part. I.*

Disp. 7. en. Disp. 9. n. p. 490.

SOLI DEO GLORIA,

Clariss.



Clarissimo Disputationis hujus Auctori,

DOMINO

M. DAVIDI FRIDERICO
GERDESSEN,

Auditori domestico suo & Amico hono-
ratiss.

PHIL. LUDOVIC. HANNEKENIVS, D.

largissimum studiorum fructum Pr.

QUàm est misera hodiernæ Ecclesiæ ortho-
dxæ facies! quantæ ejus sunt infestationes! &
quàm imprudenti conatu, sin bene Novato-
res explicemus, quam vano syncretismi amo-
re res nostræ Societatis pertractatur. Prædicanda est
Tua integritas, Amice optime, cum insigni Tua eru-
ditione, quod sine pruritu novæ ambitionis, sine invo-
lucris non excusandorum errorum, diam veritatem de
misericordia DEI erga homines universali in pariter
amplo Christi Servatoris merito ad nos dimanante,
deprædicas & perscribis. Opituletur porrò Spiritus
benedictionis in cœlestibus tuo desiderio factisque, ut
in florem familiæ succrescendo succrescas pariter in
Ecclesiæ ornamentum columenque. Faxit omnis pa-
cis & concordix legitimæ Auctor & Sospitator J E-
SUS, cui sit gloria cum Patre & Spir. Sancto, Patri
æterno catholicæ gratiæ & voluntatis salutaris scaturi-
gini! Scrib, è Muséo, 1691. prid. Id. Jan,

F

Clarissi-



Clarissimo Doctissimoque
DN. M. GERDESSEN,
S. P. D.
M. ERNESTUS GERARDUS
SIRICIUS.

Varios eosq; singulares casus atq; eventus paullo penitius dum mecum perpendo, mirari desino, Fati doctrinam quosdam parum cautos egisse transversos. De Fato enim Theologico, quod cum Decretis Dei convenit, cogitanti, tristia sese obferunt exempla horrendi iudicii divini in homines exerciti, qui tamen vel nihil, vel leviter tantummodo peccasse nobis videri possent. Neq; enim vulgare est, unius hominis peccatum omnes ipsius posteros nec dum natos luere. Urbes Tyro, Sidon, Sodoma & Gomorra ira divina coguntur experiri flammis, quas tamen, si eadem, quae quidem Iudaeis, & ipsis fuisset oblata gratia, paenitentiam facturam fuisse, vel ipse Christus testatur. Vxor Lothi, Nebucadnezar, Ananias cum Sapphira, alios si spectes, leve admodum commisisse peccatum videntur, nec sic tamen temeritatis suae effugere paenas. Alios contra omnibus nobiles sceleribus ingenti prosequitur **DEVS** μακροθυμίας. Benignitatem eius cum infinitis hominum peccatis certare dixeris. Quid ad haec, qui Fato nimium quantum tribuunt, dicturi, in aprico est. Nos iusta haec agnoscimus iudicia. Iustus es Domine & iusta sunt tua iudicia. Sunt nobis dux ad timorem, via ad paenitentiam, & ad pietatem incitamentum. Sunt velut statua Sennacheribi quam in templo Aegyptiaco sua aetate visam tradit Herodotus hunc praefereus titulum: Εἰς ἐμὲ τῆς ὀρέων εὐσεβῆς ἔσω. Praedictiones fatales haud facile contemnet, cui exempla non ignota.

ignota. Aeschylus metuens fatalem praedictionem, fore ut ictu
 superne proveniente exstingueretur, sub dio agit, nec sic tamen
 evitare potest; ictu namq; testudinis capiti ipsius ab aquila illisa,
 ipsi pereundum, ut Valerius Maximus testis est. De nominibus
 fatalibus taceo, ne superstitiosi nomen reportem. Nec loca fatalia,
 qualis Blesæ Gallia urbs, cujus arcem proin Principum tumultum
 vocat Grammondus, jam memoro. De fatalibus regnorum pe-
 riodis quingentorum ut plurimum annorum, hominum quoque
 fatalibus annis differere epistolæ brevitatis non permittit. Nec
 amicitia hic eximenda. Multi occulta quadam inclinatione
 sese mutuo amant. Alii contra peculiari quadam *ἀντιπαθεία*
 sibi invicem sunt infesti, ut ex Martiale aliisq; exemplis no-
 tum. Fortuita hæc esse, Epicuri qui sectantur placita, dicent.
 Alii astris adscribent. At stellas quidem in corporibus quasdam
 producere temperies & qualitates, ex quibus nascuntur affectus,
 per quos anima indirecte inclinatur ad bonas malasve operatio-
 nes, haud invitus largior. Sua tamen voluntati constat libertas,
 cui eligere, reprobare, quamvis id nonnunquam difficulter fiat,
 est integrum. Providentia decretisq; divinis hæc tutius, sacra
 pagina duce, adscribuntur. Sed jam non licet hæc uberius prose-
 qui. Nec opus esse puto; cum, quantum quidem ad Fatum Theo-
 logicum, abunde à TE jam sint pertractata. Gratulari potius
 PATRIÆ, TVIS, TIBI denique convenit. PATRIÆ, de
 cive tam probo dignoque cui functio Academica vel Ecclesiastica
 insigni cum emolumento tuto possit commendari. TVIS, quod
 famam, quam summam jam consecuti, ulterius in TE evehi vi-
 deant. TIBI deniq; cui tam benigna contigere fata, quaque
 liberali manu tam insignia animi dona in TE contulere, ut haud
 inaniter ominari liceat, TVA virtute & eruditione digna TE
 consecuturum premia. Quod, ut primo quoque tempore fiat, ex
 animo precor. Vale.

Erw.

*Eruditissimo Domino Autori,
applaudere voluit*

E Sse parùm credis, quòd quæ de *Saxone* tellus
Nomen habet, laudes signet ubique tuas.
An natale solum, si non testatur *Horizon*
Hassorum, laudum certior esse nequit?
Hassorum studiosa cohors accurrite, & aures
Præbete intenti, conticuisse juvat.
Hâc, *Auditores*, lymphæ superaddere lympham
Fas horâ est, largâ detur arena manu;
Scilicet accedit GERDESSEN dicere causam
Nisibus eximiis, docte Luthere, Tuam.
De meliore luto quòd huic præcordia Titan
Finxerit egregio, dicite jure, Viro.
Pulpitus insigni quem *Majestate docentem*
Miratur suavis suavia verba Dei.
Quem *distinguentem* facundâ voce *cathedra*
Prædicat, & titulô nobiliore beat.
Disserat an doceat meliùs quærentibus inquam:
Disserit atque docet dexteritate pari.

J. Steinbuck.



ULB Halle
003 792 498

3




05 A 2412

VD17







Q. D. B. V.
EXERCITATIO THEOLOGICA
DE
PRÆDESTINATIONE
FILIORUM DEI

AD VITAM ÆTERNAM,
REFORMATIS ET PONTIFICIIS POTISSIMUM OPPOSITA.

Quam
DEO ANNUENTE,

SUB
Umbone atque Præsidio

VIRI

Maximè Reverendi, Magnifici, Amplissimi, Excellentissimiq;

DN. PHILIPPI LUDOVICI
HANNEKENII,

SS. Theol. D. atque Profess. Publ. Celeberrimi, Superin-
tendentis & Pastoris Gisseni Gravissimi,

*Dn. Patroni, Præceptoris atque Hospitis ut exoptatissimi, ita
summo honoris & observantia cultu jugiter prosequendi,*

Eruditorum Examine submittit

AUCTOR

M. DAVID FRIDERICUS GERDESSEN

Gryphisvaldensis Pomeranus,

D. Januar. MDC XCI.

In Auditorio Majori.

GISSÆ HASSORUM,
Typis MÜLLERIANIS, Anno 1691.